Universitätsbibliothek Paderborn

# Controversiarvm Praecipvarvm In comitiis Ratisponensibus tractataru[m], & quibus nunc potissimu[m] exagitatur Christi fides & religio, diligens, & luculenta explicatio

Pighius, Albertus

Parisiis, 1549

XIII. De cultu atque inuocatione sanctorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29467

Visual Library

gnat, & cæteros hæreticos, qui abſtinentiam eorundem indu-
unt perpetuam, ad deſtruenda, condemnanda, abominan-
daque opera creatoris. Nos autem omnem creaturam Dei
laudamus, maciem ſaginæ, abſtinentiam luxuriæ, ieiuniaque
præferimus ſaturitati: & à diebus Ioannis Baptiſtæ ieiunato-
ris & virginis, regnum cœlorum vim patitur. Hactenus ille.
Sed hæc mihi de præſenti controuerſia æquis iudicibus ſuffi-
cere poſſe videntur.

*Peroratio.*

# DE CVLTV ET

## INVOCATIONE SAN-

## *ctorum Decima tertia Controuerſia.*

DE cultu & inuocatione ſanctorum
docent aduerſarij, quod eorum no-
bis poſſit proponi memoria, vt imi-
temur fidem, & bona opera, quiſq;
ſecundum vocationem ſuam: ſed
ſcripturam nos non docere, inuoca-
re eoſdem, ſeu petere ab illis auxi-
lia: Cùm vnus Chriſtus nobis ſit à
Deo propoſitus mediator, propi-
tiator, atque interceſſor. Eum inuo-
candum eſſe, qui ſe promiſit, exauditurũ preces noſtras. Vete-
res ſcriptores, tametſi honorãdos ſanctos doceãt, inuocãdos
non docere. Et quoniã cõſtat euidẽti diuinę ſcripturę apud
Zachariã teſtimonio. angelos orare pro nobis viuẽtibus, nec
id ipſum poſſint inficiari aduerſarij: hoc ipſum tamen, mali-
gne ac reſtrictè, atque ita cõcedunt ſanctis, vt ſicut viui orãt
pro vniuerſa eccleſia in genere, ſic in cœlis orẽt ꝓ vniuerſa ec-
cleſia. Quãquã nullũ de mortuis orantibus pro viuis teſtimo-
nium extare velint in ſcripturis, præter vnũ ſõniũ, quod vocãt
ex libro

*Aduerſariorum explicatur doctrina & ſententia.*

*Quō imaginẽtur ſãctos orare pro nobis.*

*Cur nolint in-*

*uocari ſan ctos.*

*Quæ hic affingant doctrinæ catholicæ.*

ex libro Machabæorum. Sed vt maximè pro nobis orent ſancti, non conſequi inde, eos inuocãdos. Nam cùm de hoc ſcriptura nihil doceat, non poſſe conſciẽtiam certi aliquid de illa inuocatione habere, quòd illam Deus approbet: nec item, quòd ſancti, preces noſtras intelligãt. Nõ debere proinde cogi homines ad rem incertam, cũ oratio ex certa fide fieri debeat. Et hìc nobis affingũt, quod honorẽ vni Chriſto debitũ transferamus ad eius ſanctos, atque eoſdẽ, & mediatores & ꝓpitiatores faciamus: obſcurare proinde nos Chriſti officiũ & fiduciam Chriſti miſericordiæ debitã, nos trãſferre in ſanctos: cùm ſibi Chriſtum, nobis doctoribus, duriorem fingant homines, quàm quem audeãt ſine interceſſore accedere: ſanctos verò, nobis magis propitios: & hoc pacto plus fiduciæ in miſericordia ſanctorum, quàm Chriſti ponitur: & hic late ex patiatur apologia, in abuſibus pleriſque & ſuperſtitionibus, quæ in cultu inuocationéq; ſãctorũ inter idiotas & ſimplices irrepſerunt. Etiam noſtrorum pleróſque, quibus eſt mens ſanior, fateri dicentes, multas falſas perſuaſiones hærere in doctrina Scholaſticorum, & Canoniſtarum: multos prętereà abuſus, in tanta inſcitia & negligẽtia paſtorum irrepſiſſe in eccleſiam. Nec primum fuiſte Lutherũ, qui quereretur de abuſibus publicis, & inter cætera, de cõfuſione, quę apud nos eſt doctrinæ pœnitentiæ, quam vel maximè, vt dicũt, oportebat perſpicuam & explicatam extare in eccleſia. Nullam aliã cauſam fuiſſe multis bonis viris, qui initio amare Lutherũ cœperunt, quã quod videbãt eum explicare animos hominũ ex illis labyrinthis confuſiſsimarũ & infinitarum quæſtionum & diſputationum, quæ ſunt apud Canoniſtas & Theologos. Et in hunc modum hic rhetoricari pergunt.

*In ſcholaſticos & canoniſtas*

*Scilicet, magna lux inuecta doctrinæ pœnitentiæ ꝑ Lutherum*

*Ita medendum ſubintroductis vbicunque erroribus. vt ſalua maneat orthodoxa veritas.*

Nos verò vt abuſibus & erroribus nullis patrocinari voluimus, ſed tolli eos, purgari, eliminaríque cupimus, per illos ad quorum hoc ſpectat officium: ita ad extirpandum zizania, non putamus euellendum & triticum. Si abroganda ſunt vniuerſa, quibus abutitur hominum intemperantia, & malitia, nulla eſt res tam neceſſaria, quam non abrogatam oporteat. Nam & pane & vino, cæteriſque quæ pro humana neceſſitate & ſalute Deus dedit hominibus, magna pars hominum, ne dicam multo maxima, abutitur in ſuam perniciem. Quid igitur? Hoc nobis curandum eſt, ne ex ignorantia aut errore peccent homines: Quod fiet, ſi in omnibus do-

ceant;

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

antur orthodoxam fidem & catholicam: Malitiam ho-
minum impedire non poſſumus, ſed Deo, atque illis qui-
bus hoc eſt commiſſum, corrigendam puniendámque relin-
quemus.

Sanctos cum Chriſto regnantes, ante multa ſecula, ab
vniuerſa toto orbe Chriſti eccleſia, nō ſolum honoratos, ſed
etiam inuocatos inuenimus: De quo, an fieri aut debeat, aut
liceat, nunc dubitare (vt Auguſtini verbis dicam) extremæ
eſt dementiæ.

Iure cērto habere, vt diximus, is certo intelligit, qui, quid
ſit ſanctos inuocare, intelligit, & oculos transfert in vniuer-
ſam multis retro ſeculis toto orbe diffuſam Chriſti eccleſiā.
Siquidem inuocare ſanctos, aliud nihil eſt, quàm opem inter
ceſſionémque eorū, pro nobis apud Deū implorare, & expo
ſcere: quod ante multa ſecula, ante annos duodecis ac trede
cies centenos, toto orbe terrarū Chriſti eccleſiā feciſſe, demō
ſtrat ſolēnis illa & vetuſtiſſima Litaniarū inſtitutio: quæ poſt
inuocationé ſacratiſſimæ triadis, diuorum cū Chriſto regnā
tium inuocationem ordine digeſtā cōtinet: tametſi ſuccedē-
tibus ſibi ſeculis, paulatim in eaſdē plura diuorū nomina re-
lata ſunt: & fuiſſe eam publicam Chriſti fideliū omnium in-
dubitatam fidem, vt in periculis conſtituti, & ad diuinū con-
fugientes auxilium, ſanctorū fida apud Deū implorarint ſuf-
fragia (nimirū ſuæ indignitatis, inefficaciȩ & frigiditatis ſua-
rum orationū conſcij, & magis impetrare ſperantes quod pe
tunt oratione aliena, quàm propria) ipſa rei euidētia, & vete
rum monumenta ſcriptorū comprobant. Quȩ & ipſa, ſuȩ im
perfectionis conſcia humilitas, nō verò diuinȩ miſericordiæ
diffidentia, in primis Deo grata eſt: qui ſanctorum ſuorū ora
tionibus multa nobis confert, quæ nō impetraremus oratiōe
propria. Theodoſius ille vere Chriſtianus Imperator, aduer
ſus Eugenium cū neceſſaria pro republica, & etiā religione
Chriſtiana arma pararet, non tam, inquit ille, armorū telorū-
que, quàm ieiuniorum orationumq; præſidijs præparatur ad
bellum: nec tam excubiarum vigilijs, quā obſecrationū per-
noctatione munitus, circuibat omnia orationum loca cum
Sacerdotibus & populo, Ante martyrum Thecas iacebat
proſtratus cilicio, & fida ſibi auxilia ſanctorum interceſſione
poſcebat. Vides publicam catholicæ eccleſiæ fidē in Impera
tore ſapientiſſimo & Chriſtianiſſimo, Sacerdotibus, & po-
pulo,

*De inuocatione ſanctorum antiquiſſimus conſenſus catholicæ eccleſiæ oſtenditur. Inuocare ſanctos q̃d ſit. Litaniarū inſtitutio ſolemnis & vetuſtiſſima. Quo reſpicientes fideles, in neceſſitatibus diuorum implorant ſuffragia. Deo grata ſtiuſmodi inuocatio. Teſtis publicæ & cō munis fidei Theodoſius cum Chriſtiano clero & populo. Teſtis irrefragabilis eiuſdem fi-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*dei. Auguſtinus.*

pulo, vt in periculo conſtituti ſanctorum interceſsione diuinum auxilium quærerent: & ſanctorum orationes, opem, & ſuffragia apud Deum implorarent & poſcerent. Nunc, inquit, ille Auguſtinus, ad memoriam piſcatoris, flectuntur genua Imperatoris: ibi radiant gemmæ diadematis, vbi fulgent beneficia piſcatoris. Curuant genua ad memoriam piſcatoris, qui eius auxilia, & apud deum patrocinia inuocant. Expreſsiſſe autem illum, morem tum publicum, & communem fidem catholicæ eccleſiæ, ex eo indubitatum eſt, quod hęc dixerit orthodoxus Epiſcopus in ſermone de beato Petro & Paulo, ad fidelem ſibi commiſſam eccleſiam: nihil eis nouum aut inauditum hac in re docens, ſed publicum morem ad memoriam reuocans, vt inde & ipſi non negligerent eorũdem implorare beneficia. Idem eſt videre, in plerisque alijs eiuſdem, de ſanctis, ſermonibus. Extant præterea apud eundẽ familiares, quas fundere ſolebat, preces ad Diuam Virginem, quæ adhuc hodie frequentantur in eccleſia. Vt eſt illa. O beata Maria, quis tibi dignè valeat iura gratiarum, & laudum præconia rependere? &c. Admitte noſtras preces intra ſacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excuſabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poſcimus, &c. Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam commemorationem, &c. Has inquam, & alias huius formæ preces, non ipſe priuatim tantum penes ſe orabat, imò publicè in Eccleſiaſticis concionibus inculcabat fideli populo: ne dubitare poſſis, quin ita tunc ſe habuerit fides publica catholicæ Chriſti per orbem eccleſiæ. Quod certiſsimo intelliges, ſi ſermones eius, qui ſine controuerſia ſuo recognoſcuntur authori perlegeris: quos pleroſque habuit in ſolemnibus ferijs Diuæ Virgini ſacris, ad fidelem populum. In quibus eiuſmodi orationes ſæpe recurrunt, & paſſim inculcãtur fideli populo & ſæpe exhortatur Chriſti fideles omnes, eiuſmodi interceſſionibus, toto ſe mentis affectu committere, eius patrocinia implorare, vt dum, inquit, nos ſupplici eam obſequio frequẽtamus in terris, ipſa nos ſedula prece commendare dignetur in cœlis. In vniuerſum autẽ de regnantibus cum Chriſto ſanctis omnibus, audi quid Chriſti fideles doceat, in ſermone de

*Nota pondus teſtimonii.*

*Eiuſdẽ Auguſtini familiares pͤces ad diuã Virginẽ quas & inculcabat fideli populo*

beato

beato Laurentio. Granum, inquit, dixerim dominum, cùm cæditur, cùm increpatur, cùm contemnitur: arborem autem, cùm cæcos illuminat, mortuos reſuſcitat, peccata condonat. Ramos autem huius arboris, ſi requiras, inuenies, ramus eſt Petrus, ramus eſt Paulus, ramus eſt Laurentius, cuius hodie natalitia celebramus, rami ſunt omnes Apoſtoli, vel martyres Saluatoris. Ad quos, ſi quis ſe fortiter tenere voluerit, fluctibus ſeculi minime mergitur: quin potius, ſub vmbra illorum latitans, gehennæ non patietur ardorem: ſecurúſque de diabolicæ poteſtatis procella erit. Vides quantopere fidendum ſanctorum apud deum pro nobis interceſsionibus, etiã illo ſeculo: & florente religione: & ſynceritate fidei, habuerit publica doctrina catholicæ eccleſiæ. Cuius etiam luculentiſſima teſtimonia apud Chryſoſtomum, Hieronymum, Cyprianum, Origenem, & Tertullianum inuenies. Quam fidẽ ſuorum fidelium, ipſe etiam deus innumeris confirmauit miraculis, quorum plurima certiſsimæ fidei, & in aliquibus oculatus teſtis, refert Diuus Auguſtinus capite octauo libro viceſimo ſecundo, de ciuitate dei.

*Eiuſdẽ doctrina de regnãtibus cum Chriſto ſanctis omnibus.*

*Eiuſdẽ publicæ fidei teſtes.*

*Chryſoſto:*
*Hierony.*
*Cyprianus*
*Origenes.*
*Tertullia.*

*Hãc fideliũ ſuorum fidẽ deũ cõfirmaſſe innumeris miraculis certiſſimæ fidei.*

Quid igitur? Aduerſus hanc tam vniuerſalem, tam antiquam, tam conſtantem. tam certam catholicæ toto orbe eccleſiæ fidem, quenquam Chriſtianum vel tantillum mouebunt Lutheri & aduerſariorum ratiunculæ & argutiæ? Scilicet, ſcriptura non docet nos inuocare ſanctos, nec eorum implorare auxilia. Quid ſi non doceat ſcriptura, ſed ſine ſcriptura, aut tradentibus Apoſtolis, aut ſpiritu ſancto illuminata, aut euidenti ratione edocta, hoc acceperit, hoc tenuerit, crediderit, docuerit Catholica Chriſti eccleſia? Quid ſi ipſe deus, infinitis ab initio, vt fecit, miraculis hanc eccleſiæ & fidelium ſuorum fidem comprobauerit? Ego certè maiori ratione authoritatem tibi negauero ſcripturarum omnium, quam tu mihi catholicæ eccleſiæ fidem & authoritatem reuocans in dubium: quando, niſi ex vna hac, nulla mihi conſtet ſcripturarum authoritas. Quid ergo, cum nulla ſcriptura huic aduerſetur communi fidei eccleſiæ? Quid cùm ex hoc ipſius ſcripturæ teſtimonio euidenter conſtet, multa extra ſcripturas. Apoſtolico miniſterio, & doctore ſpiritu ſancto eccleſijs tradita?

*Hanc rupẽ nõ impingi aduerſariorum ratiũculis.*

Sed Chriſto hac in re volunt iniuriam fieri, & vni illi debitum honorem transferri ad ſanctos, quando illos inuocamus.

*Quã falſo imaginentur ſctõrũ*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*inuocatiõe Chriſto iniuriam fieri.*

mus. Hunc ſiquidem vnum nobis interceſſorem, mediatorem, propitiatorémque propoſitum. Eum proinde nobis inuocandum eſſe, qui promiſit ſe exauditurum preces noſtras.

*Apoſtolorum etiam peccatorũ hominum vbique implorasse auxilia.*

Quid hîc audio? Ergo ſuiipſi⁹ toties oblitus Paulus, in Chriſtum fuit iniurius, cùm etiam à mortalibus hominibus, qui etiam pro ſuis ipſorum peccatis adhuc opus habebant orare, & per ſingulos dies dicere. Dimitte nobis debita noſtra, implorabat orationũ apud deum auxilia? Cũ Romanos oraret: Obſecro vos fratres per Ieſum Chriſtum dominum noſtrũ, & per charitatem ſpiritus ſanctivt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad dominum, vt liberer ab infidelibus qui ſunt in Iudæa? Cùm idem ab Epheſis peteret. Per omnem, inquit, orationem orantes omni tempore in ſpiritu, & cętera & pro me, vt detur mihi ſermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere myſterium euangelij, pro quo legatione fungor in cathena, ita vt in ipſo audiá prout oportet me loqui? Chriſto iniurius denique, & eidem debitum honorẽ ad peccatores homines transferés, cùm Coloſſenſes rogaret, orare etiam pro ſe, vt, inquit, deus aperiat nobis oſtiũ ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti? Cùm idem etiã Theſſalonicenſes rogaret vtraque epiſtola? Cũ idem quoque Hebræos? Cùm Philæmoni ſcribens, vt ſibi breui affuturo, & ex captiuitate liberando præpararet hoſpitium? Nam ſpero, inquit, per orationes veſtras donari me vobis. An ita vobis videtur de illo Apoſtolo, vt ſuæ ipſius doctrinæ, quam nuſquam non inculcat, nuſquam ferè, meminerit? Vt neſcierit Chriſtum nobis propitiatorem, mediatorémque propoſitũ, ipſum nos fidum interceſſorem & aduocatum apud patrem habere? Quid ergo cum illius iniuria mortales & peccatores homines, interceſſores atque oratores quærit alios? Sed nobis tutius videtur, tanti Apoſtoli exemplum & doctrinã quàm Lutheri furioſum cerebrum ſequi: & hoc certo tenere, non pertinere ad Chriſti iniuriam, ſed potius honorem & gloriam: cùm ad noſtram indignitatem, noſtræ orationis frigiditatem reſpicientes, & inefficaciam, etiam alios ad illum interceſſores ſubmittimus: non ex diffidentia de Chriſti erga nos miſericordia, ſed ex humilitate, ſuæ imperfectionis indignitatiſque ſibi conſcia. An forte, mortalium & peccatorum hominum interceſsionem & orationes apud deum ſine Chriſti iniuria implorare nos poſſe, eorum vero qui iam cũ

*Imo ad gloriã Chriſti pertinere, quando ex noſtræ indignitatis conſcientiã alios ad illũ interceſſores ſubmittimus.*

*Cauilli excluſio.*

Chriſto

Chriſto regnant, atque eidem intima charitate coniuncti ſunt, non poſſe dicturi ſunt? Qui obſecro, hoc magis quàm illud, ad Chriſti iniuriam pertinet? aut ſi pertineret vtrunque, aut alterum, qui non magis illud, quàm hoc pertineret ad Chriſti iniuriam? cui eo grauiorem iniuriam fieri, quo vni ipſi debitus honor, ad indigniores transfertur, dubium non eſt.

*Non inutiliter inuocari illorũ à nobis apud deum ſuffragia. plus valere eorum pro nobis orationes, quã hic degentes in mortali corpore.*

Quid igitur? An non fieri quidem hîc Chriſto fatebuntur iniuriam; attamen ſine fructu, atque inutiliter à nobis fieri, cum illos nobis inuocamus apud deum interceſſores & auxiliarios? Quid ita? An qui hic in mortali corpore ſub proprijs adhuc laborant peccatis, & pro ſe ipſis debent eſſe ſolliciti orationibus ſuis nos adiuuare poſſunt: & poſt effuſum pro Chriſto ſanguinem, poſt coronas & triumphos. Deo iam coniunctiſſimi in charitate & gloria, apud eum nihil poterunt? Et vt Beati Hieronymi aduerſus Vigilantium, eadem ipſa, quæ nunc hi, blaſphemantem, verbis dicam. Vnus homo Moyſes ſexcentis millibus armatis impetrat à deo veniam, Et Stephanus imitator domini ſui & primus martyr in Chriſto, pro ſuis perſecutoribus veniam deprecatur. Et poſtquam cum Chriſto eſſe cœperunt, minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dixit in naui condonatas animas, & poſtquam reſolutus, eſſe cœpit cum Chriſto, nunc ora clauſurus eſt, & pro ijs qui in toto orbe ad ſuum crediderunt euangelium, mutire non poterit? melióрque erit Vigilantius, canis viuus, quam Leo mortuus?

*Nõ minus eoſdẽ velle opitulari nobis.*

Quid denique? An poſſunt quidem, & multo magis quàm hic nobiſcum in mortali carne viuentes poſſunt, ſed opitulari nolunt? Et quæ ea foret erga fratres in hac valle lachrymarum & miſeriæ adhuc laborantes, charitas? An forte preces noſtras non exaudiunt? Exaudire certe, ipſe deus teſtis eſt, quem in periculis & neceſſitatibus, implorantibus eorum orationes & apud ſe ſuffragia perpetuo ſubueniſſe, & quotidie ſubuenire ipſa certitudine certius eſt, ipſa euidentia euidentius.

*Audire eoſdem, & intelligere preces noſtras.*

*Aliena oratione multa multos impetraſſe, qui nõ obtinuiſſent propria.*

Pius & benignus eſt dominus, & cupit nobis benefacere: attamen orari vult, non ſua, ſed noſtra cauſa & vtilitate. Et quoniam orationes noſtræ ſæpe ſunt indignæ ac frigidæ, gratum ſibi eſt, vt quomodocunque cogatur, vtque noſtræ indi

gnitati; conſcij ſollicitemus alios, qui digniore & gratiore oratione intercedant pro nobis, quo propter illorum orationem faciat, quod noſtra, vt impetraret, indigna eſt.

Lucas teſtis eſt. Mortua Thabita, diſcipulos mortem eius grauiter ferentes, vt cuius miniſterium ſanctis adhuc exiſtimabant neceſſarium, non tamen immediate ad deum, aut ad mediatorem noſtrum Ieſum Chriſtum ſed ad Petrum confugiſſe: Quem venire rogabant, & deum orare, vt illam reſuſcitaret: non tantum præſumentes de propriæ orationis efficacia, & impetrant oratione aliena, quod non impetraſſent oratione propria. Hoc ipſo, aduerſariorum arrogantiã, & ſuperbam nimis de ſe præſumptionem confundens ſacer ille ſpiritus, & catholicum hac de re ſenſum explicans Chriſtifidelium ab initio.

*Tametſi ſolus Chriſt' hominibus apud deum mediator ſit, tamẽ ob ſanctorum etiam vita functorum merita multa beneficia contuliſſe alijs, vniuerſam ſcripturã teſtari. A minori Quod per merita & memoriã ſanctorũ ſibi ſupplicari deus gratiſſimũ habuerit. Illuſt ipſum tamẽ mul.*

Solus Chriſtus, noſter apud deum patrem mediator eſt atque idem fuit ab ipſo mundi initio ſanctis omnibus, quemadmodum ſuprà, vbi de noſtri iuſtificatione egimus, pluribus explicauimus. Attamen, quod ob ſanctorum hominum, etiam hac vita defunctorum merita, multa deus beneficia cõtulerit alijs, vniuerſa ſcriptura teſtis eſt. Ita legimus ad Iſaac locutum dominum. Ne deſcenderis, inquit, in Aegyptum, ſed quieſce in terra quam ego dixerim tibi, & peregrinare in ea. Tibi enim, & ſemini tuo dabo vniuerſas regiones has, complens iuramentum, quod ſpopondi Abraham patri tuo, &c. Eo quod obedierit voci meæ, & cuſtodierit præcepta & mandata mea, & cæremonias legéſque ſeruauerit. Si propter Abraham iam mortuũ, benefecit Iſaac, & tot benedictionibus repleuit, qui tamen à regno illo cœleſti ad portas inferi adhuc extorris agebat: propter ſuperbenedictam & glorioſiſsimam matrem vnigeniti ſui, cœleſtis iam aulæ reginã, propter ſanctos Apoſtolos & martyres ſuos, qui pro ipſo ſanguinem ſuũ effuderunt, alióſq; ſibi nunc amiciſſimos & regnantes tecum, nihil faciet?

Quin & hoc vide, quòd non ſolum ob merita ſanctorum etiam vita defunctorum, & nondum ſibi coniunctorum in gloria, multa ipſum beneficia contuliſſe alijs, vniuerſa atteſtetur ſcriptura: imò, quòd etiam per merita & memoriam eorum ſibi ſupplicari gratiſsimum habuerit: Quod tamen multo maius eſt, & longe plus ipſis honoris attribuit, quàm ſi eorum tantum imploremus opem, & apud ipſum intercesſioni

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſiones ac ſuffragia. Quando hoc, etiam à mortalibus & peccato obnoxijs hominibus, nos rectè & vtiliter facere, Paulus (quod iam demõſtrauimus) ſuo nos exemplo perpetuo inſtruit.

*to plus honoris attribuere ſanctis quàm eorum implorare ſuffragia.*

Itaque Iacob, aduerſus timorem Eſau fratris ſui ad diuinum auxilium confugiens, per memoriam patrum ſuorum Abraham, & Iſaac, illud ipſum implorauit & obtinuit. Ita quoque Moyſes, orans pro præuaricatore illo populo, cùm internetioni deſtinaretur à deo, ob crimen illud adorati aurei vituli: Recordare, inquit, domine Abraham, iſaac, & Iacob, ſeruorum tuorum. Vides, vt etiam hic ob memoriam eorum quos amicos deo ſciebat, quanuis nondum eſſent illi coniuncti in gloria, orauerit atque etiam impetrauerit veniam tot centenis millibus: aduerſus quos alioqui, pro grauiſſimo idololatriæ peccato decreta fuerat iræ & furoris domini ſententia. In eundem modum, tres illi Hæbraici pueri in ardentem fornacem miſsi ab impio rege Babyloniæ, diuinam implorarunt miſericordiam. Ne auferas, inquiunt, à nobis miſericordiam tuam, domine deus noſter: propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum meũ, & Iacob ſanctum tuum. Itaque & Ezechiæ regi Iuda, rebus humanitus deſperatis ad diuinum confugienti auxilium, hoc per prophetam reſponſum eſt à domino. Protegam, inquit, vrbem hanc, & ſaluabo eá, propter me, & propter Dauid ſeruum meum. Et nos Diuorum precibus & meritis, in his quæ accepimus, à deo, nihil ne feremus acceptum?

Sed hic forte nos interrogabit quiſpiam, cur nuſquam inueniamus in ſcriptura veteri, ſanctorum iam vita defunctorum à quoquam implorata ſuffragia: tametſi per eorundem memoriam deo ſupplicatum fuerit?

*A minori.*

Cui reſpondebimus. In primis, eá cauſam non eſſe, quá imaginantur aduerſarij: quaſi id pertineret ad mediatoris iniuriam. Longe enim plus honoris deferri ſanctis indubitatum eſt, quòd per eorum memoriam & merita ſupplicamus deo, quàm quòd ipſis ſupplicamus, vt nos ſuis apud deũ orationibus adiuuent: & ſi in horum alterutro mediatori Chriſto iniuria fieret, in illo, non in iſto fieret. Cũ (vt ſupra demonſtrauimus) etiam mortalium & peccatorum hominum, apud deũ vtiliter inuocare atque implorare ſuffragia, diuinis inſtruimur ſcripturis, & exemplis apoſtoſtolicis.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Cur nõ inueniatur in ſcriptura veteri, ſanctorũ vita functorũ à quo quam implorata ſuffragia, tametſi per memoriam eorundem Deo ſupplicatum fuerit.*

Eſt tamen cauſa, cur ante perſolutum redemptionis noſtræ pretium, & apertam regni cœleſtis ianuam, per ſanctorum vita functorum memoriam & merita deo ſupplicatum fuerit, eorum tamen ſuffragia implorata non fuerint: inde verò vtrunque factum ſit, & fiat in Chriſti eccleſia. Siquidem antea, fruſtra fuiſſent implorata eorum ſuffragia: vtpote, nondum coniunctorum cum deo in gloria, ſed ad reconciliationem vſque, & regni apertionem per ſanguinem redẽptoris Chriſti, loco quodam ordinato à deo adhuc expectantium & propterea non percipientium orationes & vota viuentium, vt quæ, non propriæ rationis ad nos vſque pertingentis efficacia, ſed in verbi diuini ſpeculo (quod intueri ipſis nondum datum erat) beati intuentur & audiunt. At poſt perſolutum redemptionis noſtræ pretium, ſancti iam regnantes cum Chriſto in cœleſti gloria, etiam noſtras preces votáque exaudiunt: vtque vniuerſa, in uerbo, clariſſimè intuentur, velut quodam ſpeculo. Proinde non minori, ſed longe maiori fructu, eorundem nunc imploramus apud deũ auxilia & ſuffragia, quàm ſi nobiſcum adhuc viuerent. Tanto inquam vberiore, quanto ardentiori charitate deo iam coniuncti in gloria, apud eundem plus valent: nec minori erga nos affectu, amore & beneuolentia nobis prodeſſe cupiunt: conſcij & velut compatientes noſtræ infirmitatis ac miſeriæ, vnde erepti ſunt. Rectè proinde Auguſtinus capite trigeſimonono libro de cognitione veræ vitæ. Animæ, inquit, ſanctorum, non clamorem vocis, ſed cordis exaudiunt & ſibi fideliter inuocantibus ſubueniunt.

*Longe maiori fructu implorare nos ſanctorum apud deum ſuffragia, quã ſi nobiſcum adhuc viuerent.*

Quare non ceſſat catholica ipſa ſancta mater eccleſia, non ceſſauit ab initio, nec ceſſabit quandiu durabit in hac militia, pia quotidie deuotione implorare Diuorum iam cũ Chriſto regnantium, noſtraque vota exaudientium, ſuffragia: id quod ante Chriſtum in ueteri non fiebat eccleſia. Quemadmodum nec ſolennibus, vt nunc, gaudijs, celebrabant iuſtorum obitus, quod indignum arbitrarentur, quantumlibet laudabili morti, quæ Chriſti mortem procederet, diem feſtum impendere: cùm ante illam ſalutiferam paſſionem, non feſtiua gaudia, ſed clauſtra tenebroſa morientes quoſque exciperent.

Ex his mihi de ſanctorum inuocatione noſtræ, & catho-

lic;

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

licæ ſententiæ veritas, ſatis demonſtrata videtur, quam & ipſam nobiſcum tenere & amplecti debent aduerſarij, ſi nobiſcum voluerint in domo dei vnanimes conuerſari, & viuere. Quod ſi qui, præter hanc paſtorum negligentia & ignorantia, errores, ſuperſtitiones, abuſúſque circa eandem irrepſerint: vt irrepſiſſe plæróſque non ignoramus & dolemus: eorundem extirpationi inſiſtendum eſt: retinenda tamen catholicæ fidei veritas. Sed alienus, errores, abuſúſque corrigendi, hic modus eſt, ad quem cum ſuo Luthero confugiũt aduerſarij: ſuis impijs adinuentionibus corrumpentes vniuerſam doctrinam noſtræ religionis & fidei. Nec ſatis admirari poſſum, quod Lutherum nominare audeant, nedum magnis efferre præconijs, & dignum ducere quem magiſtrum agnoſcant, & doctorem ſequantur, qui tantum luminis inuexerit in eccleſiam. Quem certe tenebrarum pene palpabilium inuexiſſe quàm plurimum, ipſa luce fecimus illuſtrius. Sed vt hîc hominem ſuis coloribus depingamus, non fert huius inſtituti ratio.

*Non tantũ id genere, ſed etiã particulariter pro nobis orare ſctõs.*

Quod ægrè concedunt ſanctos orare pro eccleſia vniuerſa in genere, quemadmodum hîc viui fecerant, vt rectè quadret ſimilitudo, etiam orare pro nobis particulariter cõfiteãtur neceſſe eſt, quemadmodum etiam viuos feciſſe & facere, indubitatum eſt. Orant orati, pro orantibus, & eorum auxilia implorantibus, & pro quibus ſpecialem aliquam orandi cauſam habent, particulariter: pro vniuerſa autem eccleſia, generaliter, Cæteris autem ratiunculis eorum omnibus: abũde ſatiſfactum mihi videtur: & quàm falſo dicant veteres ſcriptores, inuocandos ſanctos non docere. Vt hîc conniueã ad eorundem temeritatem, & impudentiam qua libros Machabæorum vocant ſomnia. Quibus, tametſi non ſint in Hebræorum canone, indubiam nihilominus authoritatem tribuit eccleſiæ Chriſti authoritas, vnde ſcripturarũ omniũ fidem & authoritatem nobis pendere, & ſuprà & alibi copioſius demonſtrauimus. De quibus D. Auguſtinus cap. XXXVII. lib. XVIII. de ciuitate dei, hoc quod nunc diximus, conſtantiſſime affirmat. Machabæorum libros, inquit, non Iudæi, ſed eccleſia Chriſti pro canonicis habet. Nec temere, aut de ſuo capite, ſanctiſsimus epiſcopus, & ſingularis eccleſię doctor, hoc de illis confinxit teſtimonium, ſed catholicæ eccleſiæ ſenſum & conſenſum expreſſit. Nihil ipſe præſumit defi-

*Ex premiſſis cõſtare quã vere dicãt aduerſarii veteres ſcriptores inuocãdos ſctõs nõ docere.*

*Qua temeritate Machabæorũ libros dicãt ſõnia.*

nire de ſcripturis canonicis, vt nunc miſelli homunciones
quidam, execranda impudẽtia, diuinarum ſcripturarum om
nium, atque adeo ſacri ſpiritus ſe Ariſtarcos & cenſores con
ſtituunt, eaſque pro ſuo ingenio ac ſpiritu in claſſes deſcri-
bunt ac diſtribuunt: quaſdam, etiam reſecantes ad viuum a-
lias, eorum authorum pernegantes, ſub quorum nomine le-
ctas conſtat ante annos quaterdecies centenos à catholica
eccleſia, homines, vt in aliis plæriſque corrupti mente, & re-
probi circa fidem, ita hac in re intolerandæ temeritatis, præ
ſumptionis & ſuperbiæ exagitati ſpiritu. Non ſic, inquam, il
le. Sed catholica, inquit, Chriſti eccleſia pro canonicis habet.
De cuius hac de re ſententia, etiam definitio tertij Carthagi
nen. concilij, cui idem beatiſsimus Auguſtinus interfuit, nos
certos reddidit, cuius decreto. XLVII. vterque Machabęo
rum liber connumeratur inter ſcripturas diuinas & canoni-
cas. Sed his obiter, aduerſariorum de diuinis ſcripturis, per-
ſtricta ſit cenſuræ temeritas.

# DE VOTIS MO-
# NASTICIS. CONTRO-
## *uerſia decima-*
## *quarta.*

QVò clarius intelligas, qualis ſit ad-
uerſariorum de his ſententia, hoc
primum fac cogites lector, quan-
tum merito fidei illi habendum
ſit, qui ſuæ ipſius patrocinatur tu-
pitudini, ſuæ perfidiæ, libidini, ac
impudicitiæ. In Nicæno concilio,
cùm tractaretur de indicenda ſa-
cerdotibus & altaris miniſtris per
petua continentia, etiam iis qui
mariti admiſſi ad miniſterium fuerant, & in eam ferè ſenten-
tiam inclinarent patrum ſententiæ vnius Paphnutij illi con-
tradi